

Band XI., Nr. 5298e, Seite 273-276

Prozess der Klause Neunkirchen mit Burkhard von Rot Chorherrn in Öhringen: Beweissätze und Verhör der Zeugen Burkhards von Roth.

Ohne Ortsangabe, Von 1299 bis 1300: 1299. November
7.

F. dictus Spete canonicus Herbipolensis iudex a reverendo patre Herbipolensi episcopo delegatus. Datum per copiam. Intendit probare Burkardus de Rode¹ contra . . magistram et sorores inclusorii in Nuwenkirchen, quod bona in libello posita videlicet aream cum suis pertinentiis pater ipsius Bur. in feudum tenuit ab episcopo Herbipolensi qui tunc temporis fuit ratione ecclesie Herbipolensis, a qua huiusmodi bona in feudum processerunt et procedere debent. Item quod Gerwicus de Sachsenflûre et Wipertus de Zimmern et Zurcho de Gabelstein et Got. de Sassenflûr et C. de Winsterloch milites, in quos predictae partes compromiserunt feria secunda ante festum beati Johannis Baptiste proxime transactum, ad presentiam domni episcopi Herbipolensis *venirent* ostensurae coram eo quicquid utraque pars iuris in eisdem bonis haberet, cum ipse Bur. predictus assereret se feodaliter esse investitum de bonis ipsis ab episcopo, . . magistra autem et sorores affirmabant quod de consensu ipsius episcopi, a quo quondam pater Bur. in feudum tenuit ipsa bona, nunc essent earum propria facta, quia Bur. dictus Sûzel ipsis bona illa propria fieri procurasset et ordinasset, et cui parti dominus episcopus recognosceret dicta bona pertinere eadem pars ipsa bona a parte altera evicisset. Item quod iam dicta feria secunda partes coram domino episcopo Herbipolensi compararunt et quod dominus episcopus recognovit dicta bona Bur. pertinere quia eum de eisdem investisset. Item quod dominus episcopus ratione iam dicte recognitionis et sententiae ipsum Bur. misit in possessionem dictorum bonorum. Item quod in scriptis commisit domino Craftoni de Hohenloch, quod ipsum Bur. in ipsis bonis defenderet nec sineret ei a predictis sororibus vel earum amicis aliquam molestiam irrogari. Item quod dictus Bar. intravit dictorum bonorum possessionem et corporaliter eam apprehendit auctoritate iudiciali scilicet domini episcopi Herbipolensis, scilicet pulsatis campanis ville in Nuwenkirchen et intimatione facta rusticis illius ville qui tunc presentes fuerunt quod apprehendere vellet possessionem bonorum in libello contentorum, qui responderunt consuetudinem esse ville, quod quis per pulsationem campanarum precedente agrorum scilicet et pratorum sitorum in marchia ville predictae [possessionem apprehendit]. Item quod est consuetudo illius ville quod

¹Ober- und Unterrot.

II

[per] intimationem et campanarum pulsationem rusticorum predictorum possessionem quis apprehendit. Item coram quibusdam rusticis constituit Henricum vor dem Hove dictum eorundem bonorum possessorem. Nec astringit se ad probandum omnia predicta, sed si qua ex eis probaverit sibi prosint tamquam plura non fuerint proposita quam probata. Queratur a testibus utrum bona de quibus agitur nunc procedant in feudum a domino episcopo Herbipolensi vel si sint propria. Item que ex sororibus compromiserint et quot sorores presentes fuerint. Item si ille sorores que dicuntur compromisisse habuerint ad hoc mandatum et potestatem ab aliis sororibus absentibus, et unde omnia ista sciant. Item queratur quid fuerit factum coram domino episcopo et utrum magistra habuerit mandatum procuratorium ab aliis sororibus vel si aliquis procurator ex parte ipsarum sororum comparuisset coram episcopo feria II. ante festum beati Johannis Baptiste et qualiter utraque pars ibi ius suum ostenderit et qualis fuerit ibidem petitio ipsius Bur. et responsio sororum et unde omnia ista sciant. Item super omnibus articulis de loco tempore visu auditu et omnibus circumstantiis. Protestatur etiam quod omnia probata reum non relevant. Cetera suppleat examinador.
 Dominus Zurcho miles de Gabelstein iuratus rogatus de primo articulo intentionis dicit quod nichil constat ei. Rogatus de II. articulo dicit quod Mergentheim in presentia domini K. de Hohenloch sorores inclusorii in Nuwenkirchen elegerunt duos milites sive duas personas, Bur. reus etiam duas, dominus de Hohenloch dedit dominum C. militem de Vinsterloch pro quinta persona, in quo partes consenserunt et compromiserunt quod quicquid ille quinque persone pronuntiarent haberent ratum et firmum, que convenerunt in unum seu concordaverunt quod vellent pronuntiare quod partes deberent venire ad presentiam domini episcopi Herbipolensis *dominum* feodi et cuicumque parti dominus episcopus recognosceret dicta bona pertinere eadem pars ipsa bona a parte altera evicisset. Sed antequam pronuntiarent illam sententiam, dominus Wipertus de Husen² frater de domo Theuthonica loquebatur quod cum predictae domine haberent litteras domini episcopi super predictis bonis vellent venire ad presentiam domini episcopi et cuicumque parti dominus episcopus recognosceret dicta bona quod ille [e]vicisset ea. In quo consensit dominus Bur. cum ipse etiam haberet litteras super eis. Testi nichil plus constat de negotio supradicto.

 Dominus C. de Vinsterloch testis iuratus rogatus dicit quod^a credit firmiter quod concordaverunt in sententiam sive in arbitros sed non pronuntiauerunt. Concordat per omnia cum primo teste, sed dicit quod audiverit tantum duas sorores loqui et ignorat quot fuerint presentes, sicut et primus qui dicit quod fuerint tres vel quatuor presentes. Nescit

^aDie Stelle von *quod* bis in die Mitte des Wortes *pronuntiauerunt* auf Rasur.

²Grünsfeldhausen.

III

de die quia oblitus, primus dicit quia in ebdomada pentecostali aut feria tertia vel quarta. In aliis concordat.

 Heinricus miles de Bartenstein testis iuratus rogatus concordat cum antedictis testibus nisi quod non fuit unus de illis quinque personis quia casu venit ad locum.

 Sifridus dictus Helbelinc de Nuwenkirchen testis iuratus rogatus de primo articulo intentionis dicit quod sciat ex vera scientia quod procedant dicta bona in feudum a domino episcopo. De secundo articulo nichil constat ei. De tertio dicit quod audiverit tantummodo a famulo domini Bur. et a decano in Nuwenkirchen qui legit litteras domini episcopi super predictis bonis coram ipso teste et quibusdam aliis. Item dicit quod quodam die dominico dictus Bur. venit Nuwenkirchen et interrogavit de consuetudine ville qualiter quis deberet apprehendere possessionem aliquorum bonorum, qui responderunt per omnia secundum quod continetur in intentione, et sic predictus Bur. apprehendit possessionem per pulsationem campanarum, sicut dicitur in intentione. Hec testis vidit audivit et interfuit, dicit et quod pulsatis campanis dominus Bur. dixit Heinrico dicto vor dem Hove: Heinrice tu es meus, tu debes te intromittere de bonis istis, qui respondit: vos domini de villa istud bene auditis, hoc consideretis ne contingat me incurrere indignationem dominarum mearum quia oportet me obedire domino meo. Sed domine receperunt frumentum et annonam in campo isto nesciente quia procurator sive scultetus dominarum dixerat ei quod nollet ea colligere ante festum sancti Jacobi, sed statim per duos dies vel tres collegit. De aliis ignorat.

 Heinricus dictus vor dem Hove testis iuratus rogatus concordat per omnia cum Sifrido teste precedente et est proprius domini Burkardi.

 Rudegerus dictus in dem Hove testis iuratus rogatus dicit quod dominus Bur. interrogavit eum quali iure sive quali consuetudine ville illius deberet se intromittere de possessione bonorum, qui respondit quod deberet paleam recipere de domo vel stramina extrahere de tecto, hoc videretur sibi esse iuris. Nichil aliud constat sibi de facto nisi quod audivit ab aliis qui interfuerunt et audiverunt et viderunt quod dominus Bur. intromisit se de possessione ut est dictum. Preterea ego Petrus camerarius in Kuncelsowe citaveram quosdam alios testes ad perhibendum in causa eadem testimonium veritati qui non comparerunt, et quia domini mei sum negotiis occupatus ita quod non sum certus quando possim in domo propria inveniri, ideo vobis negotium remitto et istas attestaciones sigillo domini mei de Rannenberc sigillatas.

 Publicate sunt iste attestaciones anno domini MCCLXXXIX., sabbato ante Martini, et prefiximus parti dominarum inclusorii supradicti feriam II. ante Katerine ad excipiendum in dicta et personas testium supra dictorum.

—

IV

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Abhangend das spitzovale Siegel des Domherrn Friedrich Speth, 35, 24 mm, oben die hl. Margareta, gekrönt, beide Hände erhoben, in der Rechten ein Kreuz, zu ihren Füßen der Drache, unten kniender Beter; Umschrift: + . S . FREDERICI . D . FEMIGE . CAN . AVG. d. h. Augustensis.

 Die am Anfang einzelner Abschnitte stehenden c-förmigen Rubrikzeichen sind im Abdruck weggelassen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 249 U 297

Regesten:

KARL WELLER (HRSG.): Hohenlohisches Urkundenbuch, im Auftrag des Gesamthauses der Fürsten zu Hohenlohe, 3 Bde., Stuttgart 1899-1912, Bd. 1, S. 436, Nr. 611.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Friedrich; Speth von Faimingen

Ortsindex:

Bad Mergentheim Wohnplatz (3643)
 Bad Mergentheim, TBB
 Bartenstein Wohnplatz (3259)
 Bartenstein, Schrozberg, SHA
 Finsterlohr Wohnplatz (3711)
 Finsterlohr, Creglingen, TBB
 Gabelstein Wüstung (22008)
 Gabelstein, Öhringen, KÜN, W
 Grünsfeldhausen Wohnplatz (3766)
 Grünsfeldhausen, Grünsfeld, TBB
 Herrenzimmern Wohnplatz (3833)
 Herrenzimmern, Niederstetten, TBB
 Hohenlohe, Simmershofen, NEA, W
 Künzelsau Wohnplatz (2446)
 Künzelsau, KÜN
 Neunkirchen Wohnplatz (3654)
 Neunkirchen, Bad Mergentheim, TBB
 Oberrot Wohnplatz (3155)
 Oberrot, SHA
 Rannenberg, Markt Bissingen, DLG
 Sachsenflur Wohnplatz (4008)
 Sachsenflur, Lauda-Königshofen, TBB
 Unterrot Wohnplatz (2924)
 Unterrot, Gaildorf, SHA
 Würzburg, WÜ
 Öhringen Wohnplatz (2576)
 Öhringen, KÜN